Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 2257

Quelle:
Copyright:

perdita caſtitate, hoc initio: *Anima mea anima erumpnoſa* &c. Et jam tranſſilitur ad *Orationem* in Edit. XX. *Pro accendendo dei amore*, cujus initium: *Domine ihesu chriſte redempcio mea miſericordia mea* &c. Hanc demum excipit *Oratio* inſcripta: *Pro venia impetranda*, quae *Anſelmi* Editoribus incomperta fuiſſe videtur; non enim illam in Edit. *cit.* reperio. Ejus initium eſt: *Suſcipiat pietas tua domine deus meus preces humilitatis mee. Ego miſerrimus ad te piiſſime deus confugio pregrauatus ſarcina peccatorum incurvatus pondere criminum profundis ignorancie tenebris obuolutus* &c. *Anſelmo* non indigna, verum, quod dolendum, jam cum *pag.* 2. in his verbis: *Inclina cor meum deus ad amorem tuum, ut te ex toto corde et ex* — — abrumpitur.

XVI. *fol.* 205. p. 2. *Tractatus*, ut e calce praeoccupo, *de Corpore Chriſti venerabilis Magiſtri Stanislai de Znoyma.* De hoc Viro jam ſaepius actum. Thema Tractatus habes in primis ejus verbis: *Viſum eſt non eſſe inutile quod quidam Tractatus de non remanencia ipſarum ſubſtanciarum panis et vini poſt conſecracionem in ſacramento altaris per aliqua motiua ad utramque partem contradictionis incluſiue usque ad concluſionem katholicam in hac materia protendatur* &c. Ad calcem omnia ſubmittuntur judicio *Sbinconis* Archiep. *Prag.* qui ab a. 1403 — 411. Sedem tenuit.

DXCI.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. nunc. 143. f. currente calamo ſcriptus et olim *Wenceslai Roſſii Preſſorovini* Sacerdotis *Boh.* ut *folium ult.* teſtatur, ſequentia continet: I. Collectanea quaedam de *Euchariſtia* et *Poenitentia*, adjunctis *Caſibus Epiſcopo* et *Papae reſervatis.* Principium deficit, primaque verba ſunt: *nichil aliud percipit quam ſaporem panis, oculis videt colorem panis, auribus audit fracturam* &c. 189

II. *fol.* 12. ſuccedit Tractatus aſceticus absque Autoris nomine, *de gratia, virtutibus* cum generatim tum ſpeciatim, et *Extremis*, quae homini accidunt, in *Capita*, ſeu *Sermones* CXXV. tributus, praefixo cuivis themate biblico. Ita C. I. incipit: *Gracia dei et miſericordia in ſanctos eius, et reſpectus in electos illius. Sap. 4. Sic dicit beatus Bernhardus in libro ſuo de libero arbitrio. Deus hic tria in nobis operatur* &c. Ultimum vero finit: *Item crimen leſe maieſtatis temporale eſt ſervitus perpetua. Similia exempla videmus cottidie.* Adjacet ſequens rubrica: *Explicit liber iſte Anno Domini M° CCCC° XXXI° et ſferia quarta infra octauas Viſitacionis virginis marie*, et Index capitum.

III. *fol.* 138. p. 2. *Incipit ſumma aurea bonaventure de gradibus virtutum et primo ponitur Caritas.* Initium Opuſculi eſt: *Infimus*